



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

362. An, quando, & qualiter vota data mutari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 360. Quid igitur faciendum de votis istiusmodi incertis, adeoque invalidis, aut aliter inutiliter datis, quibus v.g. aliquis notorie ineligibleis eligitur?

Respondeo: esse habenda tanquam renunciatio- nes vocis, adeoque subtrahenda à numero eligentium: ut si v.g. decem sint electores, quorum tres talia vota inutilia dederint, de electione iudican- dum sit, ac si septem tantum Electores fuerint, à quorum quatuor si quis nominatus fuerit, is cen- setur electus à maiore parte capitulij ita expressè *c. in electionibus. 2. de elect. in 6. Sigism. dub. 28. n. 2. Lavor. loc. cit. n. 60. Pass. n. 24. cum communi.* Dum autem similia vota alba seu inutilia numeranda dicuntur, intelligendum id est, quòd numeranda sint in de- creto electionis, sed ut invalida, & non nume- randa pro habendo valore electionis, sed ut rejici- enda de eorum numero, qui validè suffragati sunt. *Pass. loc. cit.*

Quaestio 361. Num igitur ex hoc, quòd Electo- rum aliquis det votum istiusmodi inutile, idem capere possit emolumentum, quòd alii, ut nimirum hoc ipso jam diminuto suffra- gantium numero, adeoque paucioribus con- stituentibus majorem partem capituli, pau- ciora ad eius electionem requirantur suffra- gias, v.g. ut si dum praeter ipsum essent novem Electores, ipse, qui dedit votum inutile, nomi- naretur ab eorum quinque, jam evaderet electus (cum interim alias, ipso quoque utili- ter votante, ad sui electionem sex votis ege- ret) non secus ac si id contingeret alteri isto- rum novem?

Respondeo nequaquam, si enim hunc fructum haberet suae inobedientiae, ejus votum non fuit- set vanum & inutile, *Pass. n. 25.* Quinimo talem in tali casu omnino privari voce passiva tenent Jo- And. Anchar. *in cit. c. in electionibus. Sigism. loc. cit. n. 4.* Verùm neutrum horum, nimirum neque carentiam istiusmodi fructus, neque privationem vocis passiva locum habere in electionibus regularium, in quibus vota eligentium non publicantur, adeoque sciri nequit, qui tale votum inutile dedit, ait *Pass. n. 26.* Sed neque locum habet in electore, qui sine praesumpta fraude ex ignorantia & simplicitate dat istiusmodi suffragium inutile. *Pass. n. 29.* Potest quòque qui fraudulenter, & absque justa ignoran- tia tale votum dedit, fructuosè poenitere, & evade- re poenam istam privationis vocis passivae, etiam pro ista electione, in eo nimirum casu, dum ex ista causa dati inutiliter alicujus suffragii, vel ex alia non sequitur publicatio scrutiniij, sed novum in- stituitur, uti etiam, dum illud iteratur, eò quòd in publicatione scrutiniij nullus inveniat electus à majore ultra medietatem parte vocalium, varian- do tunc nimirum, & dando schedulam utilem, vel etiam in scrutiniò auriculari, in quo nomina eligentium cognoscuntur, & suffragia voce prolata revo- cari possunt, revocando prius suum suffragium, Jo- And. Anchar. Franc. Innoc. *in cit. c. in ele- ctionibus. Pass. n. 27. & 28.*

*

Quaestio 362. An igitur, quando eò qualiter vota data mutari possint:

1. **R**espondeo primò: mutare potest Elector da- tum à se votum primò in scrutinio auricu- lari, saltè antequam omnium vota sint redacta in scriptum, ita DD. communiter, ut ait *Pass. n. 30.* Secundò, etiam post integrè confectum scruti- nium auriculare ante ejus publicationem; cum e- nim *c. publicato.* prohibeatur variatio, rectè à contra- rio arguitur id licere ante publicationem. *Abb. in cit. c. publicato. Sigism. dub. 29. n. 4. Biax. p. 3. c. 30. n. 4. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. Pass. n. 31. contra Hofst. Anchar. Cuchum de elect. l. 4. n. 241. Mirand. to. 2. q. 23. n. 24. concl. 2. Rodriq. to. 2. q. 52. n. 7. & alios.* Excipe ca- sum, in quo duo saltè scrutatores (unus enim solus testis nihil probat) non recordarentur prioris voti à tali dati, tunc enim, etsi adesset justa causa mutan- di, mutatio non permittitur, eò quòd adesse posset fraus, & committi injustitia, dum is, qui vult muta- re, non variaret, sed eundem, quem prius elegerat iterum, adeoque bis eligeret, & uni ex nominatis votum adimeret, fingendo, se illum prius nominàs- se. *Pass. n. 31.*

2. Respondeo secundò: mutare non potest Ele- ctor in scrutinio, quòd fit per schedas, etiam eo non- dum completo (excepto primo, qui solus potest schedam suam certo revocare, dum statim, ante- quam per immisionem aliarum schedarum con- fundatur, eam ex vase retraheret) ne fraudibus de- tur locus, dum scheda unius confusa cum aliis di- stingui nequeat: credendum etiam non sit dicenti, hanc esse suam schedam. *Peyr. loc. cit. Castell. c. 11. n. 23. Donat. p. 3. r. 4. q. 30. n. 2. Pass. n. 33.* Potest tamen completo tali scrutinio quilibet mutare votum suum, dum majore parte capituli petente, vel ad u- nius petitionem in id consentiente, prius scruti- nium ante factam illius publicationem dissolvitur, quòd fieri potest ex quacunq; causa major pars moveatur, absque eò etiam, quòd teneatur eam ma- nifestare. *Pass. n. 34.*

3. Respondeo tertio: nulli mutare licet post pu- blicationem scrutiniij, sive auriculare illud fuerit, si- ve per schedas. Sic expressè habetur *c. publicato. Si- gism. Cast. Donat. Peyr. in cit. Barb. ad cit. c. publicato. cum communi.* Tenetque id ipsum etiam in ele- ctionibus validis, in quibus servata non fuit forma *c. quia proprius* cum in omni electione Electores, fini- to & publicato scrutinio, perfecte functi sint offi- cio suo publico, eis concessio, & delegato à Papa, a- deoque resilire non possunt. *Abb. ad c. publicato. n. 4. Pass. n. 37. contra Jo. And.* Secus tamen dicendum, ubi Electores jure proprio & privato, quale v. g. habet communitas aliqua secularis, eligunt, posse eos mutare, quamdiu electio ab electo non est ac- ceptata. *Pass. n. 36.* Item dum post publicationem scruti- niij, etiam in electione Canonica, electio apparet nulla, v. g. quòd deprehendatur à majore parte no- minatus ineligibleis, ante electionem factam nomi- ne totius collegij revocato priore scrutinio, ad aliud procedere possunt, & in eo singuli variare vo- tum suum, argumento *c. perpetuo. de elect. in 6.* Jo- And. Innoc. Bald. *in c. Ecclesia vestra. de. Lavor. c. 19. n. 112. Sigism. dub. 29. n. 6.* Quin etiam tunc unus solus poterit resistere futuræ electioni communi, & impedire, ne fiat, contra illam protestando, quæ protestatione neglecta, si devotum fuerit ad ele- ctionem communem, ii, qui protestati fuerunt, non tantum evadunt poenas latas contra malè eligentes, sed

sed & poterunt iterare scrutinium, eoque ritè peracto eligere, ita etiam, ut, si in priori scrutinio erraverint, habeant jus, & possint errorem hunc corrigere, & habere bonum scrutinium, non expectato iudicio confirmatoris; aliis interim, qui ad malam electionem communem progressi jus suum eligendi pro ista vice amittentibus. Pass. n. 39. qui tamen n. 40. citans pro se Abb. Sigism. Lator hoc ipsum sic limitat: ut quando scrutinium publicatum ipso facto non est nullum; sed cassandum tantum, non possint Electores, utpote jam functi officio suo, illud revocare, sed debeant tunc progredi ad electionem communem, & totum iudicium relinquere iudicis seu confirmatoris, aut superioris arbitrio, utpote qui potest electionem talem cassandam confirmare. Idem dic, dum cassanda est electio ob contemptum alicujus; poterit enim tunc contemptus eam ratificare. Idem ait Pass. n. 41. dicendum, quamdium non est certum & notorium, scrutinium habitum & electionem vi illius habendam esse ipso facto nulla.

Questio 363. à quo, & quo ordine, & qualiter ipsorum Scrutatorum vota exquiri debeant?

1. **R**espondeo primò: ad hoc opus non esse, nec debere assumi quartum scrutatorem aut notarium; cum *c. quia propter*. decernens tres assumendos scrutatores de hoc nihil habeat; habeat autem praxis, ut scrutatores se invicem scrutentur. Barb. ad *c. cum*. n. 23. *ibid.* Host. Abb. Innoc. Butrio. Mirand. *to. 2. q. 21. a. 29* Biax. *p. 3. c. 26. n. 8.* Pass. *cit. c. 18. n. 47.* citans plures alios.

2. Respondeo secundò: in scrutinio per schedas complicatas, utpote in quo nec electorum nomina cognoscuntur, nec schedæ aperiuntur, nisi illis omnibus receptis, & permixtis, parum interesse, num primò vel ultimò conjiciant schedas in urnam; in scrutinio verò auriculari utile valde est & conveniens (non tamen etiam post Trident. necessarium, ut bene ostendit Basl. n. 50. contra Sigism. Samuel. Lator. ut scrutatores prius se ipsos scrutentur, & dent vota, ne dum jam consciis aliorum votorum, ex hoc dirigant sua vota, & sic pro arbitrio suo sæpe concludant, vel non concludant electionem. Quamvis autem per se malum non sit, & inutile aut damnosum electioni, sed sæpe valde utile, dirigere Electores aliquos ex noticia voti aliorum ad ferendum votum suum, possintque ex hoc concludere electionem (cum per hoc quòd Elector videat, jam à collega esse electum digniorem, ab eligendo minùs digno dimoveatur, vel etiam concludere possit electionem magis digni aliàs non concludendam pro hoc: quin & in electione Papæ detur locus accessui, dum postquam collegium jam confectum, Titium nominatum esse in scrutinio, possunt Electores singuli, relicto priore voto suo, ad illum accedere) quia tamen facilius contingere potest, ut ex hac scientia in scrutatoribus oriatur timor aliquis præjudicans libertati, aut motivum inducens ad electionem minùs digni (v. g. & præsertim, ubi innouit jam votum dignioris habentisque primam vocem in capitulo, qui sæpe potens est, & caput unius factionis, malèque tractare solet eos, qui sibi non adherent in electionibus) adeò que potius timendum hoc malum, quam sperandum illud bonum, hinc inquam consultius est, ut scrutatores primo scrutentur se ipsos. Host. *in sum de elect. §. qualiter faciendæ*. Biax. *p. 3. q. 26. n. 6.* Pass. *n. 45. & 52. &c.*

ac specialiter ob datam rationem non scrutentur ante se talem digniorem. Pass. n. 51. contra Cuch. Rodriq. Biax.

Questio 364. An, & qualiter vota data voce, vel etiam per schedas, nimirum postquam Electores omnes schedas suas dederunt, redigenda sint in scriptum?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè, estque hæc scriptura de substantia electionis, ut patet ex *c. quia propter*. *ibid.* Innoc. Imol. Abb. &c. Pass. n. 66. citans Tamb. Suar. Bass. &c. qualiter tamen non sit de essentia omnis electionis, Pass. n. 68. videndum monet apud Rotam *decis. 289. n. 30. parte 6. & 244. n. 4. p. 8. recent.*

2. Respondeo ad secundum; scribenda esse vota ab ipsis scrutatoribus ex mente textus *c. quia propter*. Pass. n. 67. Et quia facilius unus potest errare, ab omnibus tribus scribenda sunt. Pass. Prius tamen numerandæ sunt schedæ, & earum numerus conferendus cum numero vocalium, ita ut, si non sint hi numeri æquales, schedæ sint comburendæ, & habendum novum scrutinium; iis verò existentibus in æquali numero cum Electoribus, singulatim ab omnibus scrutatoribus sunt legendæ, & sic describendæ. Pass. n. 63. Porro in casu, quo in scrutinio per schedas scripturæ hæc scrutatorum non conveniant inter se, schedæ iterum accuratè legendæ, & verus numerus colligendus: in scrutinio verò auriculari, dum duo conveniunt in scriptura, ei standum est, si omnes dissentiant, & convenire nequeant, iterandum est scrutinium. Pass. n. 67.

Queres 365. An, ubi pauciores sunt Electores quam quatuor, servari possit forma c. quia propter. quoad danda & recipienda vota; & si non sint, quid faciendum in eo casu?

Respondeo præter ea, quæ passim hac de re dicta sunt in antecedentibus,

1. Primò, tunc servari non posse formam; quia tunc iidem sunt scrutatores & collegium, adeò que nequit esse manifesta scrutatoribus, quin hoc ipso sit manifesta toti collegio; imò, ut bene Pass. *cit. c. 18. n. 69.* verè ibi non sunt scrutatores, sed totum collegium sua vota recipit & scrutatur.

2. Secundò, si potestas Capituli redacta est ad unum solum Electorem, opus non est nominatione & electione distinctis; sed poterit is nomine totius capituli eodem actu nominare, eligere, & publicare electionem, dicendo coram testibus (& majoris securitatis gratià adhibito insuper Notario) *vice Collegii eligo Titium*. Cuchus *de elect. l. 4. n. 202.* Donat. *tr. 1. q. 17. n. 7.* Pass. n. 70. Si autem & is solus de collegio habeat vocem passivam; cum se ipsum eligere nequeat, non manet locus electioni, sed vel ille tunc censetur electus à jure, ita ut opus tantum sit, electionem istam factam à jure confirmari à confirmatore, ut Cuch. *loc. cit. n. 3.* vel confirmator ipse dare illum debet in Prælarum Ecclesia, ut Sigism. *sub. 23. n. 8.* ubi eligendus debet esse de Collegio; Superior enim, dum ad eum devolvitur electio, alium promovere nequit, quam habentem requisitas in eligendo per Electores qualitates. Pass. *num. 70.* Quòd si autem adesset voce passivà privati, quos Superior (ubi id posset) habilitaret denuò ad vocem passivam, non jam ipse Superior, sed is, penes quem solum remaneret jus eligendi, unum ex iis nominare posset. Pass. n. 71.

Ter-